Culm.

Kgl. kath. Gymnasium

1839 / 1840

Nachrichten

über das

Königliche katholische Gymnasium

zu

Culm,

von dem Director des Gymnasiums
K. Richter.

Voran eine Abhandlung des Oberlehrers Dr. Łożyński.

II.

Culm,
gedruckt bei Wilhelm Theodor Lohde.

Antiquitatis Plautinae

Particula Prima.

Scripsit

Ad. Łożyński, Phil. Dr.

Fabulis Plautinis quantum nostris temporibus virorum doctorum ingenia exerceantur, litterarum Latinarum cultorem paullo religiosiorem fugere arbitror neminem. Ad Plautum poetam quum ipsa antiquitatis verecundia alliciamur, tum rerum Romanarum notitia, a scriptoribus praetermissa aliis, aliunde repeti non potest. At non propter antiquitatis solum Romanae testimonia ex uno Plauto haurienda dignus est poeta, qui sedulo manibus versetur; etiam sermonis cultu atque elegantia insignem fuisse, apud Quintilianum Instit. Orat. lib. X. c. I. §. 99. ita testatur Varro: Musas, Aelii Stilonis sententia, Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent. Laudibus effert Plauti linguam Gellius et hominem elegantiae in verbis latinis principem, decus linguae latinae appellat (lib. VII. c. 17. lib. XIX. c. 8.) *).

Quae quum ita sint, mirari subit, poetam, qui est in antiquissimis, quae tantum non integra magno e naufragio nobis servavit fortuna, litterarum Latinarum monumentis, tot annis quasi situ obrutum iacuisse, quum ingeniosissimus quisque, ad cetera alia viribus collatis, unum Plautum intactum reliquerit. Ut enim concedamus, ad emendandas poetae fabulas et subacto iudicio, quo quidem non nemo pollet et, id quod gravius est, probis codi-

*) Cic. Orat. c. XX. §. 67. Itaque video visum esse nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen — potius poema putandum quam comicorum poetarum: apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani sermonis.

cibus opus esse: tamen horum pervestigandorum, quod ante haec tempora modo pauci quidam ingeniosiores periculum fecerunt, hoc nomine propter iniuriam poetae illatam, vehementer dolendum est.

Recentissimis igitur temporibus factum est, ut studia Plautina reviviscerent et singularis quaedam ingeniorum alacritas et sollertia poetae nostro admoveretur. Post Ernestii, qui Gronovianum textum, qui dicitur, Lipsiae a. 1760. repetiit, editionem, a Godofredo Hermanno in lucem edita est Trinummus. Cui viro, legum metricarum peritissimo, utinamne visum fuisset, hac una fabula acquiescere! Quantum enim tanti viri cura Plauto consuli potuerit, vix est quod moneam. Bothii nimiam in crisi exercenda licentiam Lindemanni et Goelleri excepit subtilior codicum excutiendorum ratio, qua una metris rite ordinandis et linguae prisco germanoque colori restituendo prospici posse, in promptu est. Atqui in codicum usu maxima adhibenda est cautio. Quum enim iam in antiquitate textus Plauti, quem vocant, plurimas sustinuerit mutationes, *) propterea quod ipsi iam histriones pro suo quisque iudicio subrogando derogando obrogando poetae fabulas mutilarent, tum grammaticorum, **) qui in explicandis Plauti fabulis dictioneque constituenda studium et operam collocabant, cura interpolationem adaugeret: crisis Plautina eo adducta est, ut, si quis editoris munus subierit, ad fontem ipsum descendat et pristinam Plautinarum fabularum formam et speciem, quoad eius fieri potest, restituat opus sit. Quod nuper tanta cum laude facere ingressus est Ritschelius, ***) ut crisi Plautinae novae lucis per ipsum affundendae spem laetissimam excitaverit. Ritschelius igitur Plauti fabulis, quae corruptae hucusque circumferuntur, praesens remedium paraturus et firmum solidumque substructurus quasi fundamentum, ad melioris notae codices, qui unam persanandi spem polliceantur, confugiendum esse censuit; quales duo libros mss. Palatinos esse commendavit, quorum alter est codex Camerarii decurtatus, qui hodieque

*) cf. Wolfii Portensis Prolegomena ad Aulularіam p. 7.

**) M. Terentium Varronem quaestiones Plautinas scripsisse, constat.

***) cf. Rhein. Museum. IV. Jahrgang, Heft 2. pag. 153. sqq. Facem praefert Hermanni Diatribe de litteris Plautinis hos ante duos annos edita, in qua vir insignis eximiam, ut solet, declaravit doctrinam ingeniique subtilitatem.

in bibliotheca Heidelbergensi asservatur; quo ex codice expressam Schneiderus a. 1834. Truculentum publici iuris fecit. Alterius, in bibliotheca Vaticana etiamnum delitescentis, accurata extat collatio Parei in editione altera, quae prodiit Neapoli Nemetum a. 1619.

Eadem fere, quam Ritschelius ingressus est, insistens via, ad Camerarii veterem codicem Fridericus Iacob Lubecensis a. 1835. Plauti Epidicum recognovit; et Ritschelius ipse, quae consilium et praecepta viri testaretur, Bacchidum fabulae maiorem editionem confecit; eandem minorem, quae ut Iacobi tanquam iusta extaret editio, in usum scholarum comparavit, additis signis metricis. Uterque codex Palatinus non solum ab interpolationis immunitate sese commendat, sed etiam vetustate reliquos omnes, quotquot innotuerunt, superat, quippe quorum origo ex undecimo vel duodecimo saeculo repetenda esse videatur. Itaque non audiendus C. H. Weisius, qui in libro, Plautus und seine neuesten Diorthoten (1836.), inscripto, rationem ab illis duumviris initam reddere suspectam conatus est, lectionis vulgatae patrocinio suscepto, quam, pristinum fabularum colorem restitui posse desperans, suo iudicio atque ingenio emendare studet. Verum quamvis necessaria in arte critica ingenii sollertia appareat, solum acumen spreta codicum auctoritate nihil valet, immo periculosum existit.*) Quo factum est, ut ipsius Plautinarum fabularum recensio neque artem criticam usquequaque auxerit, neque scholia, quae addidit, artem exegeticam promoverint.

Principis fabularum Plautinarum editionis, quae est Merulae, discrepantes ab recensione Gronovii lectiones proposuit Ch. Schneider Vratislaviae a. 1825. Subtilis viri diligentia hoc in libro praestita multis nominibus laudanda est, qui unius certe codicis plenam et accuratam collationem exstare voluit, ut integritati Plautinarum comoediarum subveniret, ex quibus quantum ad accuratiorem grammaticae et metricae Latinae cognitionem profici possit, omnino constat. At quae ad orthographiam spectant omissis, atque iis tantum, quae ad sententias pertinere viderentur, enotatis, dici vix potest,

*) „Etenim qui accuratissimam fontis quamvis corrupti notitiam habet, eum ad coniiciendi facultatem maxime iuvari immo unum sapere, reliquos umbrarum instar vagari, certum est.“ Schneider. praefat. Trucul.

re in tam vetusto scriptore adeo gravi neglecta, grammaticae Plautinae auctori dolorem quantum attulerit.

Negari quidem nequit, multa adeo, ut nunc res sese habet, superesse, dum post absolutam artis criticae operam grammatica accedat doctrina; et quantocunque digna sunt pretio, quae hac in arte a Conradi L. Schneideri et Struvii libris grammaticis praestita sunt, dictionis elocutionisque Plautinae diligenter illustrandae omnino restat materies, quam multa ex parte pertractatam, veluti de prisca pronominis Latini forma, maxime Plautina, quum litteris custodiam, ne nimius sim calumniator mei, per D. O. M. fore ut, siquando perfectior quam qui nunc est textus, quem dicunt, prodierit, in lucem emittam spero atque confido.

Non sunt silentio praetereunda Rostii, Beckeri, Osanni, Wolfii, Kampmanni sua cuiusque merita, propter operam illustrandis Plauti fabulis praebitam. Rostii opuscula Plautina atque interpretatio vernacula, quam supplementum Koepkianae esse voluit, virum exhibent antiquitatis Plautinae peritissimum. Ch. Beckeri Lipsiensis, viri sagacitate, iudicii probitate, linguae peritia et elegantia, denique omnibus iis, quae iustum produnt interpretem, virtutibus atque artibus, conspicui, liber, quem inscripsit: „Quaestiones de comicis Romanorum fabulis maxime Plautinis,“ summa quaeque in Plauto illustrando atque a sordibus, quibus inquinatus est poeta, purgando, sperari iubet.

Uti autem lectionis scriptorum consilium varium est et apud alios aliud, quum alii delectatione ducantur, doctrina alii: ita in Plauti exemplaribus versandis suo quisque studio atque ingenio uti potest. Quemadmodum autem in singulis hominibus triplex sese offert ratio, quae instituta spectat domestica sive privata, tum civilia, denique divina: ita populorum eandem ipsam rationem persequi possis. Quanquam non apud omnes populos tria haec simul genera comparent.*) Itaque si quis in Plauto illustrando operam collocet, totam antiquitatem ita disponet, ut vitam privatam, ad quam artis opera artesque et liberales et sordidae, quas plebs Romana vel servi adeo veluti medicinam exercebant; **) deinde omnia pacis insti-

*) cf. Kalthof Handbuch der hebräischen Alterthümer pag. 4. seqq.

**) cf. Rostii dissertatio „de Plauti auctoritate ad faciendam rerum antiquarum fidem“ in Opuscul. Plautin.

tuta, quaeque de cultu victuque hominum eorumque probis vel improbis moribus dicuntur; tum liberorum educandorum et instituendorum disciplina; denique etiam vetera proverbia, antiquae sapientiae praestantissima documenta, pertinent, exponendam sibi eligat. Altero ordine collocabit reipublicae instituta, leges, edicta, ritus, magistratus; tertio denique complectetur fabulas veteres deos spectantes et opiniones vulgi de natura Deorum; de providentia et veneratione deorum."

Iam vero rerum gestarum mentio, si qua apud Plautum invenitur, in pari atque privatarum habenda est existimatione, quum ex illo, quo Plautus vixit tempore, nulli superstites sint scriptores integri. Verum ut vitae privatae scrutatores ad Plautum tanquam praecipuum fontem confugiunt — ex quo enim scriptore, ut ait Beckerus*), res veterum domesticas, vitamque privatam plenius cognoscere sperabimus, quam ex eo, qui in ipso familiae coetu nos sistit, consiliis adhibet auditores, omnium quae clam palamve aguntur spectatores, qui domus ipsas recludit et sui temporis castigator candidissimus ad vitam expressam ob oculos nobis ponit aetatis imaginem? — ita rerum scriptoris est habitare in bellis enarrandis occuparique rebus publice gestis, dum vita privata tantum non omnis negligitur. Rerum Romanarum publice gestarum scriptores multi extiterunt, pacis instituta undequaque, apud poetas in primis, conquiri oportet. Quamvis autem diversa sint rerum scriptoris et antiquitatum scrutatoris munia, tamen alterum sine altero ne stare quidem potest; alterum compensatur expleturque altero. Quum enim sit historiae, gentium populorumque mutationes tempori subiectas spectare, antiquitates solidam et stabilem gentis alicuius condicionem collustrant. Et ipsa rei expositio in utroque genere diversa. Historia singulas res gestas, ut quaeque sibi succedunt, complectendo unam quasi imaginem proponit. Contra antiquitatum est, in tanta rerum et temporum vicissitudine et varietate, quam rerum offert cognitio, digerendo et membratim disponendo, populorum condicionem, pro temporum varietate variam, exhibere. (cf. Kalthoff l. l.)

Itaque operae pretium facturus mihi esse visus sum, si continuam et quasi perennem morum domesticorum, quales apud Romanos viguerunt, inde a primordiis repetendo atque persequendo, expositionem exhibuerim; quam a Plauto inchoari debere, omnino liquet. Pristino consilio abiecto,

*) l. l. pag. 27.

quo testimonia e fabulis excerpta Terentii, qui aetate ad Plautum proxime accedit atque eiusdem vitae privatae, licet elegantiore iam sermone, imaginem vivam ob oculos ponit, adiicere animus erat; nunc quidem in uno Plauto acquiescere apud me constitui. Quo in genere suam habent laudem Parei Electa Plautina, quae Neapoli Nemetum a. 1617. prodierunt;*) at sunt illa indole et forma a mea disquisitione diversa. Etenim quum Pareus materiam collectam pro generum varietate in lexicographorum modum disponat digeratque, equidem in vitae privatae cultu quantum potero diligentissime adumbrando studium et operam collocabo. Olim in Ionsio explanando occupatus atque iterum iterumque inde divulsus reiectusque lubenti animo operam intermissam denuo susciperem, si per otii et loci rationem fieri liceret, ut adiumentis litterariis, quae sine maximo sumptu hic loci parari non possunt, subveniretur. Cui inopiae donec prospectum non fuerit, in Plauti fabulis habitabo. Atque nunc quidem perexiguam quandam particulam delibare ex iis, quae custodimus, placuit.

Iam si fuerint, a quibus in ipso limine iusto longius adstare arguar, eos reputare velim, prooemiandi facultatem hac data occasione, qua finibus certis non constitutis, liberius exspatiari atque proferre ea, quae vix alias facere possis, licitum sit, omnino esse concessam. Hoc unum addam, suppressa esse a me omnia, quae in usum iuventutis minus cadere viderentur.

---

*) cf. Becker l. l. pag 28.

Paedagogicorum Plautinorum lineamenta.*)

§. 1.

De patria potestate.

Severi patrum in liberos imperii ac dominationis plura extant apud Plautum exempla. Filii filiaeque patri familias, interdum etiam matri, ita sunt dicto audientes, ut turpi quodam metu obstricti obnoxiique servitutem quasi servire videantur.**) Atque quum vitae sustentationem, educationis beneficium, soli patri deberent tribuerentque liberi, vindicarique possent et mancipari tanquam res mancipi: obsequiosos fuisse liberos, imperiosiores patres, haud mirabimur. Quamquam ista potestas, quam patriam dicunt potestatem, non usque ita fuit dura atque violenta, quippe quam Valerius Maximus lib. VII. c. VII. §. 5. de testamentis rescissis, mitiore nomine humaniusque patriam maiestatem appellet. „Erant autem liberi ratione aliorum hominum personae, ratione civitatis cives, at ratione patris res ac servi.“***)

*) Hic vellem ad manus mihi essent: Graessii praecepta artis paedagogicae e Terentio petita. Vitebergae 1801. — — Horatii Paedagogica ed. Schultze. 1807. Senecae Paedagogica ed. Schultze. 1809.

**) Serv. ad Virg. Aen. l. XI. v. 143.

***) cf. Heinecc. Antiqu. Iur. lib. I. tit. IX. §. 1.

Etenim patri, qui suo iure familiae princeps, domesticus iudex vel magistratus a Seneca*) et filii censor a Suetonio**) appellatur, ius erat vitae et necis, ut patri filium, tanquam rem suam „non solum exponere, in carcerem detrudere, flagris caedere, vinctum ablegare ad operas rusticas, sed etiam quovis supplicio, si meruisset, necare liceret.***)

Priscum autem fuisse patriae potestatis institutum (a Romulo repetendum aiunt) eamque perpetuam, quae per omnem patris vitam duraret, — quae lex regia postmodum in leges XII. tabularum relata est, — testatur Dionysius Halic. lib. II. c. 26 et 27. (apud Dirksenium tabul. IV. fr. 2.):

Ὁ δὲ τῶν Ῥωμαίων νομοθέτης (ὁ Ῥωμύλος) ἅπασαν, ὡς εἰπεῖν, ἔδωκεν ἐξουσίαν πατρὶ καθ' υἱοῦ, καὶ παρὰ πάντα τὸν τοῦ βίου χρόνον, ἐάν τε εἴργειν, ἐάν τε μαστιγοῦν, ἐάν τε δέσμιον ἐπὶ τῶν κατ' ἀγρὸν ἔργων κατέχειν, ἐάν τε ἀποκτιννύναι προαιρῆται, κἂν τὰ πολιτικὰ πράττων ὁ παῖς ἤδη τυγχάνῃ, κἂν ἐν ἀρχαῖς ταῖς μεγίσταις ἐξεταζόμενος, κἂν διὰ τὴν εἰς τὰ κοινὰ φιλοτιμίαν ἐπαινούμενος. — Καταλυθείσης δὲ τῆς μοναρχίας — (τοῦτον τὸν νόμον) δέκα ἄνδρες ἅμα τοῖς ἄλλοις ἀνέγραψαν νόμοις, καὶ ἔστιν, ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν λεγομένων δώδεκα δέλτων, ἃς ἀνέθεσαν ἐν ἀγορᾷ. — Ab eadem patria potestate oriundus est mos liberos tollendi (τέκνα ἀναιρεῖσθαι) i. e. de terra tollendi et nutriendi atque educandi, quo more olim infantes recens nati per obstetricem in terram deponebantur (cf. Forcell. Lex. Lat. s. v.), communem omnium parentem, quos ab humo sublatos pater in sinum recipiebat matrique aut nutrici tradebat; qui autem non tollebatur, pro abdicato et proiecticio erat. Commune autem fuisse patri aeque ac matri liberos tollere, probat Lambinus ad Plauti Amphitr. I. 3. 3. Exempla Plautina sunt haec: l. l. Mihi necesse est ire hinc; verum quod erit natum tollito.

Trucul. II. 4. 5. Si quod peperissem, id educarem ac tollerem,
Bona suá me habiturum omnia.
Casin. Prolog. 40. Quum conspicatus est primo crepusculo,
Puellam exponi, adit extemplo ad mulierem,

---

*) Controv. II. 3. Benef. III. 11.

**) Claudii Vita c. 16.

***) Heinecc. l. l. §. 5.

Quae illam exponebat; orat, ut eam det sibi:
Exorat, aufert, detulit recta domum:
Dat herae suae, orat, ut eam curet, educet.
Hera facit, educavit magna industria,
Quasi si esset ex se nata, non multo secus.
et v. 79. Revortor ad illam puellam expositititiam.
Cistell. II. 3, 7. Dico ei, quo pactod eam ab hippodromo viderim
Herilem nostram filiam sustollere.

Hanc moris infantium exponendorum necandorumque immanitatem atque barbariam non ex lege et vulgo, sed clam et furtim, ne, qui exponi iuberent, minus commode audirent, factitatam fuisse, comprobant exempla:

Cistell. I. 3. 17. (Quoniam reum eius facti nescit, qui siet,)
Paternum servum sui participat consilii;
Dat eam puellam ei servo exponendam ad necem;
Ille illam observavit servos, qui eam proiecerat,
Quo aut quas in aedes hanc puellam deferat.
l. l. v. 28. Postquam ille uxori iusta fecit: illico
Huc commigravit: duxit uxorem hic sibi.
v. 31. Illa illi dicit: eius se ex iniuria
Peperisse gnatam atque eam se servo illico
Dedisse exponendam.

Adiungi potest liberorum suppositio:

Truc. II. 4. 84. Sociae unanimantis, fidentis fuit
Officium facere, quod modo haec fecit mihi,
Suppositionem pueri, quae mihi credidit,
Germanae quod sorori non credit soror.

Lex regia, quae etiam in XII. tabulas migravit*), masculam prolem educari voluit et e femellis primogenitas, nisi ex quinque vicinorum sententia monstrosi, debiles, aut insignes ad deformitatem essent iudicati.**) Non-

*) Cic. de Legib. l. III. c. 8.

**) cf. Heinecc. l. l. I. 9. 5. Not. 6. cf. tamen G. A. Schroeder: De Romanis moribus palliatae fabulae immixtis, dissertatio secunda. 1837. p. 10.

nunquam liberos propter paupertatem parentum, a quibus ali non possent expositos fuisse, scribit Lactantius: de vero cultu L. VI. c. 20. §. 24. seq.*) Christiani demum imperatores Valentinianus, Valens et Gratianus ferum istum morem vetuerunt hac lege: Si quis necandi infantis piaculum aggressus aggressave sit, erit capitale istud malum.**)

Sed redeat oratio illuc unde deflexit, ad patris imperium liberumque obsequium. Luculentum huius rei testimonium Plautus offert in Persa III. 3. 13. Parasitus filiam, virginem ingenuam, ventris fraudisque caussa vendere constituerat. Virgo, patris consilio comperto, Utrum tu, inquit, pro ancilla me habes, an pro filia? Ad haec pater: Meum, opinor, imperium in te, non in me tibi est? Respondet filia: Tua istaec potestas est pater.***)

Penes patrem erat etiam dissolvere nuptias filiae. Stich. I. 1. 49. Colloquuntur sorores Panegyris et Pinacium de maritis absentibus, atque conqueruntur, patrem se cogere velle ad alias nuptias ineundas.

v. 14. Sed hoc, soror, crucior,
Patrem tuum, meumque adeo, unice qui unus
Civibus omnibus probus perhibetur,
Eum nunc improbi viri officio uti,

---

*) „Tam igitur nefarium est exponere quam necare. At enim parricidae facultatum angustias conqueruntur, nec se pluribus liberis educandis sufficere posse praetendunt.“ De liberis exponendis vide praeterea Sueton. Cal. c. 5. Claud. c. 27.

**) Parei Electa Plautina s. v. Nativitas.

***) Lepide atque facete alludere videtur poeta ad morem vere Romanum. Patria enim potestas complectebatur etiam ius vendendi sive ius ter venumdandi filios, uti est in XII. tabulis: Si pater filium ter venumduit, filius a patre liber esto. Quamquam certa huius iuris exempla afferri nequeunt. Ipsum ius a Romulo institutum ita restrictum fuisse a Numa, ut accepta potestate uxoris ducendae, filius non iam venire a patre posset, Dionysius Halic. II. 27. et Plutarch. Num. 17. testantur. cf. Rein. ius privat. Lips. 1836. p. 223.

Viris tantas absentibus nostris
Qui facit iniurias immerito,
Nosque ab iis nunc abducere volt.
v. 31. Nam viri nostri domo ut abierunt,
Hic tertius annus.
v. 49. Pan. Nolo ego, soror, me credi esse immemorem viri,
Neque ille eos honores, mihi quos habuit, perdidit.
Nam mihi pol grata acceptaque huius benignitas est,
Et me quidem haec condicio nunc non poenitet,
Neque est, cur nunc studeam, has nuptias mutarier:
Verum postremo in patris potestate est situm
Faciundum id nobis, quod parentes imperant.
Pin. Scio atque in cogitando moerore augeor:
Nam propemodum iam ostendit suam sententiam.

Stich. I. 2. 11. Pin. Quid agimus, soror, si obfirmabit pater adversus nos? Pan. Pati
Nos oportet, quod ille faciat, cuius potestas plus potest.
Antipho pater: Si manere hic sese malint potius, quam alio nubere:
Non faciant.

Locus sane memorabilis. Taubmannus nos ablegat ad Hotomanni librum de ritu nuptiarum c. 24: „An coemptione filia e patris potestate sit emancipata? Emancipatas fuisse, locus noster negare videtur. Ad patriam potestatem haec pertinuisse, omnino constat; quippe quae per iustas nuptias*) vel per legitimationem vel per adoptionem constitueretur.**) Fiebant autem nuptiae apud Romanos, quod tironum caussa moneo, aut confarreatione aut coemtione aut usu. „Coemtione in manum conveniunt per mancipationem, i. e. per quandam imaginariam venditionem, adhibitis non minus quam quinque testibus civibus Romanis puberibus, item libri —

*) Pl. Pers. III. 1. 55. Verum videto, ubi me voles nuptam dare. Ne haec fama faciat repudiosas nuptias.

**) Heinecc. l. l. lib. I. tit. X.

pende . . . ." Gai. I. 113. Vir quasi emptor dicebatur coemptionator*) atque una cum patre venditore vel tutore aderat.

Ex loco igitur supra allato conficitur, viri absentia trium annorum remancipatam fuisse uxorem. Etenim ut matrimonium, confarreatione contractum, diffareatione dissolvebatur: ita, per coemptionem factum, remancipatione.**)

Filii filiaeque patri dicto sunt audientes,***) licet nonnunquam invita Minerva.

Pers. III. 1. 50. Futura es dicto obediens, an non patri?
R. Futura.
Mercat. II. 3. 124. Charinus filius: Vin' me tecum illo ire?
Demipho pater: Nolo. Ch. Non placet.
De. Melius est, te, quae sunt mandatae res tibi, praevortier.
Ch. Tu prohibes. De. At tu excusato te fecisse sedulo;
Ad portum ne bitas, dico iam tibi. Ch. Auscultabitur.
Trin. II. 2. 23. Philto parte: Haec tibi si mea imperia capesses, multa bona in pectore consident.
Lysiteles filius: Semper ego usque ad hanc aetatem ab ineunte adulescentia
Tuis servivi imperiis servitutem et praeceptis, pater.
Pro ingenio ego me liberum esse ratus sum; pro imperio tuum.
Meum animum tibi servitutem servire, aequum censui.

Patris absentis iamque redeuntis adventum pertimescit filius nequam, Mostell. II. 1. 31.; et quum ipse in patris conspectum prodire vereatur, sodalem mittit oratorem, qui patris iram deliniat.

Mostell. V. 2. 32. Callidamates:
Omnium primum sodalem me esse scis gnato tuo;
Is adiit me: nam illum prodire pudet in conspectum tuum

---

*) Reliqua habes apud Reinium l. l. p. 178.

**) Heinecc. l. l. §. 13.

***) cf. I. W. E. Mende: der Gehorsam in der Erziehung. 1840.

Propterea, quae fecit, quia te scire scit. Nunc te obsecro,
Stultitiae adulescentiaeque eius ignoscas. Tuust.*)

Etiam filiae matribus obediunt pietatemque colunt. Asinar. III. 1.

Cleaereta mater:
Nequeon' ego ted interdictis facere mansuetam meis?
An ita tu es animata, ut quae expers matris imperii sies?
Philenium filia: Ubi piem pietatem, si istoc more moratam tibi
Postulem placere, mater, mihi quo pacto praecipis?
Cl. An decorum est adversari meis te praeceptis?
Ph. Quid est?
Cl. Hoccine est pietatem colere, imperium matris minuere?

Severum patris in filios imperium penes matrem quoque erat, scilicet mariti in liberis educandis adiutricem. Talis est mater Argyrippi Asin. I. 1. 64.

Quamquam illum mater arcte contenteque habet,
Patres ut consueverunt, ego mitto omnia haec.

Quamquam diversa sunt prorsus patris matrisque munia, quum ille, ut ait Seneca, exercitari iubeat liberos ad studia mature obeunda neque patiatur esse otiosos; at matres continere in sinu, fovere in umbra velint.**)

---

§. 2.

Verum enim vero severa contentaque parentum indoles haud restinguebat humanitatis igniculos; itaque mutuae caritatis liberorumque pietatis apud Plautum multa reperiuntur exempla. Matris erga filiam, quam crediderat amissam:

---

*) Adde Bacch. III 3. 53. Lydus: Hic enim recte productust patri;
In mare it, rem familiarem curat, custodit domum,
Obsequens obediensque est mori atque imperiis patris.

**) cf. Parei Electa.

Epid. IV. 1. 46. Remigrat animus nunc demum mihi.

Cum pietate coniuncta est reverentia. — Quaerit pater ex filia: Pers. III. 1, 43.

Malus ne ego sum? V. Non es, neque me dignum est dicere. Captiv. Prolog. 32. Filium amissum ut domum reducat recipiatque pater, pretio nihil parcit.

Liberorum cura, quam agunt pro parentibus, nimia esse nequit. Stich. I. 2. 39.

Nunquam enim nimis curare possunt suum parentem filiae,
Quem aequius est nos potiorem habere quam te . . .?

Patri, nuptias secundas inire cupienti, filiae matrem mortuam pie colentes, opponunt:

Stich. I. 2. 52. Facile invenies et peiorem et peius moratam, pater,
Quam illa fuit: meliorem neque tu reperies neque Sol videt.

Trinumm. II. 2. 1. filius proponitur verecundus atque patri dicto audiens, morum integritate atque conscientiae castitate excellens, quae lucem patrisve conspectum non fugiat.

Philto (pater): Quo illic homo foras se penetravit ex aedibus?
Lysiteles (filius): Pater adsum. Impera, quod vis:
Neque tibi ero in mora, neque latebrose me abs tuo conspectu occultabo.
Ph. Feceris par tuis ceteris factis,
Patrem tuum si percoles per pietatem.

Si quis filius callide atque astute consilium suum vel flagitia magistros et parentes celat, furtum facere i. e. illos fallere videtur. Lydus paedagogus discipulum alloquitur:

Bacch. I. 2. 60. Edepol fecisti furtum in aetatem malum,
Quom istaec flagitia me celavisti et patrem.

Iniuriam facere parentibus liberi bene morati recusant, licet adsit occasio illecebraeque invitent. Pseudol. I. 3. 70.

Egon' patri surripere possim quidquam, tam cauto seni?
Atque adeo, si facere possem, pietas prohibet.

Decet verecundum esse adolescentem. Ita Argyrippum filium commonet pater Demaenetus Asin. V. 1. 6.; pius probusque filius vitiis adeo parentis, quae videt, ignoscit: „Pietas, pater, oculis dolorem prohibet."

Verecundia erga parentes liberi ad vitam probam ducuntur; canitie parentum ad virtutem commoventur. Asin. III. 1. 35.

Filia: Quid, si hic animus occupatust, mater, quid faciam? mone.
Mater: Hem!
Meum caput contemples, si quidem ex re consultas tua.

---

§. 3.

Iam quum omnis educatio sit tripartita, ut et ad corpus et ad animum et ad ingenium pertineat, quo sit, ut aiunt, mens sana in corpore sano: singulae hae partes iustis exemplis Plautinis adumbrari probarique possunt. — Mnesilochum, filii Pistocleri amicum, pater Philoxenus ita alloquitur:

Bacch. III. 3. 90. Mnesiloche, hoc tecum oro, ut illius animum atque ingenium regas.
Serva tibi sodalem et mihi filium.
In te ergo hoc onus omne impono.
. . . . Mnesiloche, cura et concastiga hominem probe,
Qui dedecorat te, me, amicos, alios, flagitiis suis.

Morum integritatem Plautus, ut in civitate regenda atque administranda requirit, ita unum educationis probae ponit quasi fundamentum.

Pers. IV. 4. 6. Si incolae bene sunt morati, pulcre moenitum arbitror,
Perfidia et Peculatus ex urbe et Avaritia si exulant,
Quarta Invidia, quinta Ambitio, sexta Obtrectatio,
Septimum Periurium . . . . . Octava Indiligentia,
Nona Iniuria, decimum, quod pessimum aggressu, Scelus.

Atque pudicitiam praecipuam ducit virtutem iuventutis paedagogus, quem pro censore et castigatore apud Plautum omnino habeamus, necesse est.

Bacch. III. 3. 80. Verba facit Lydus paedagogus ad Mnesilochum:

Mihi discipulus, tibi sodalis periit, huic filius;
Nam ego illum perisse dico, cui quidem periit pudor.

Iuvenis impudicus pro occiso quasi habendus est, quippe cuius flagitiis medicina afferri possit nulla. Hic vel parentum est immemor. Bacch. I, 2, 50. Lydus paedagogus:

Hic vereri perdidit.
Compendium edepol haut aetati optabile
Fecisti, cum istanc nactu's impudentiam;
Occisus hic homo est. Ecquid in mentem est tibi,
Patrem tibi esse?

Iam vero liberorum educandorum initia a parentibns ipsis repetenda sunt. Itaque disciplina exemplis sive parentum imitandis, sive magistrorum deinceps maxime nititur. Verba movent, exempla trahunt. Inest quoddam mirum in pueris imitandi studium. Quoniam vivo sinceroque amore amplectuntur liberi parentes, praeceptores discipuli: horum vitae ratio summum erit, quod intueantur tum liberi tum discipuli, exemplar. Quae tanto efficacior erit verbis, quae vulgo oblivioni dantur, ut viva quasi effigies in iuvenilibus animis impressa maneat ac vigeat. — Ipse iam audiatur Plautus: Probum patrem esse oportet, ne corrumpat filium, qui ipsius mores intueatur atque suos faciat. Pseudol. I. 5. 22.

Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum
Esse probiorem, quam ipsus fuerit, postulet.
Idne tu miraris, si patrissat*) filius?

Virtutis praecepta magistris ipsis sunt explenda, ne se redarguant ipsos.**) Id de populo ludis scenicis excolendo ita proponit poeta:

---

*) Patrissare hic et Mostell. III. 1. 105 apte et lepide effinxit Plautus ex analogia verbi graeci πατρίζω et πατριάζω i. e. patrem imitor, quod repetiit Terentius Adelph. IV. 2. 25. „Laudo Ctesipho; patrissas.“ In rem adi Bacch. V. 2. 72.

**) cf. Parei El. Pl.

Spectavi ego pridem Comicos ad istum modum,
Sapienter dicta dicere atque iis plaudier,
Quom illos sapientis mores monstrabant poplo;
Sed quom inde suam quisque ibant divorsi domum:
Nullus erat illo pacto, ut illi iusserant.

Pravum est parentum exemplum excusare liberos, si iisdem vitiis indulserint; cuius rei insigne exemplum legimus Bacch. IV. 10. 5. Aeque pravum, liberorum studere corruptelae improbis exemplis. Asin. V. 2. 17.*)

Patribus frugi opponuntur a Plauto perversi atque pravi, quos quidem poeta mordet atque cavillatione et dicacite aggreditur. — Remittere filiis frenos ad libidinem, deterrimi est parentis, qualem nobis omnino proponit Plautus Demaenetum, ita alucinantem: Asin. I. 1. 50.

Omnes parentes, Libane, liberis suis,
Qui mihi auscultabunt, facient obsequentiam,
Quippe qui mage amico utantur gnato atque benevolo.

Improbi parentes coram sese filios iubent pergraecari atque commissari. Mostell. V. 2. 42.

At vero ut improbanda parentum indulgentia, ita quidvis morose denegari liberis, quo studium ferat probaque voluntas, non minus a poeta reprehenditur, qui senem Philtonem ita facit loquentem:

Trinumm. II. 3. 3. Sed hoc unum consolatur me atque animum meum;
Quia, qui nil aliud, nisi, quod sibi soli placet,
Consulit advorsum filium, nugas agit,
Miser ex animo fit, factius nihilo facit.
Suae senectuti is acriorem hiemem parat,
Quam illanc importunam tempestatem conciet.

Iuvenes perditi restituendi atque ad bonam frugem corrigendi sunt, non mala indulgentia perdendi. Quocirca aegre fert senex Megaronides atque obiur-

---

*) Vid. Linge: „De Asinaria Plauti insigni corruptelae apud Atticos sub novae comoediae aevum puerorum educationis exemplo."

gat Calliclem, quod filium ipsius curae demandatum a pernicie non servaverit, quin eam attulerit, facta, ut filius improbior redditus sit, copia. Trin. I. 2. 79.

Quid tu adulescentem, quem esse corruptum vides,
Qui tuae mandatus est fidei et fiduciae,
Quin eum restituis? quin ad frugem corrigis?
Ei re operam dare te fuerat aliquanto aequius,
Si qui probiorem facere possis; non uti
In eandem tute accederes infamiam,
Malumque ut eius cum tuo misceres malo.
Ca. Quid feci? M. Quod homo nequam.

Dare adolescenti argentum, id est dare ei gladium, quo se occidat, vel ut „aedificet suam inchoatam ignaviam" (v. 95.).

l. l. v. 87. Me. Emistin' de adulescente has aedis? quid taces?
Ubi nunc tute habitas? Ca. Emi atque argentum dedi,
Minas quadraginta, adulescenti ipsi in manum.
Me. Dedisti argentum? Ca. Factum neque facti piget.
Me. Edepol fide adulescentem mandatum malae!
Dedistin' hoc pacto ei gladium, qui se occideret.

Carpit autem saepenumero poeta iuvenes prodigos, filios nequam, et convicia nuncupat, (Mercat. Prol. 59.) i. e. quasi partes domus complures corruptas, minam trahentes. cf. Parei Lexic. Plaut. s. v. Convicium. Adde Curcul. I. 3. 42. In primis nobili loco natos adolescentes poeta luxui deditos scribit et degeneres; atque huius corruptelae caussam fuisse praecipuam servos. Theuropides senex, pater Philolachi, increpat servum Tranionem, Mostell. V. 2. 17.

Filium corrupisse aio te meum. Tr. Ausculta modo,
Fateor peccavisse. . . . . . absente te
Foenori argentum sumpsisse; id est absumptum praedio.
Numquid aliud fecit, nisi quod faciunt summis gnati generibus?

Ne filii dissoluti praematuris dispendiis atque sumptibus nomina locarent remque familiarem subruerent, lege Plaetoria de circumscriptione adolescentium sapientissime cautum erat atque vetitum, ne cui filio, qui vi-

ginti quinque annis minor esset, quidquam crederetur, neve stipulari possent. Ex lege enim Plaetoria omnibus nondum quinque et viginti natis annos curatores dabantur, quum antea modo prodigis aut dementibus darentur.*) Unde haec lex a Plauto dicitur quina vicenaria. Pseudcl. I. 3. 69. (v. 83. ed. Weise.) Calidorus adolescens:

Perii, an non tum lex me perdit quina vicenaria?
Metuunt credere omnes. R. Eadem est mihi lex, metuo credere.

Rud. V. 3. 2. Daemon. senex: Qua pro re argentum promisit hic tibi?
Gripus, servus Daem.: Si vidulum
Hunc redegissem in potestatem eius, iuratus dare
Mihi talentum magnum argenti. Labrax. Cedo, quicum habeam iudicem,
Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiamdum siem
Quinque et viginti annos natus.

Priscian. VIII. 794.: Laetoria**), quae vetat minorem annis XXV stipulari (ἐπερωτᾶσθαι) et XVIII. p. 1164.: Minor viginti quinque annorum stipulari non potest; passive pro sponsione teneri. Tabulae Heracleensi debetur caput de infamia, circumscriptori adolescentium, qui adversus eam legem fecisset, proposita.***)

---

*) cf. Onomasticon Tullianum ed. Orelli. Pars III. p. 231. Ernesti Clav. Cic., Ind. Leg. s. v.

**) Scriptura Plaetoria commendatur tabula Heracleensi. Vulgo editur Laetoria. Codices alii manu exarati fluctuant inter Plectoria v. Pletoria, Letoria v. Lectoria. cf. Beier. ad Cic. de Off. p. 290.

***) cf. Onomast. Tull. l. l. p. 232. — Savigny: von dem Schutz der Minderjährigen im römischen Privatrecht und insbesondere von der lex Plaetoria Berl. 1833. laudatus Reinio in libro, quem inscripsit: das röm. Privatrecht p. 114. et p. 261. Cic. de Off. III. 15.

§. 4.

Rei nostrae perquam accommodatus est locus: Mostell. Act. I. Sc. 2. Philolaches adolescens novarum aedium argumentatur esse similem hominem, quando natus est. Aedes, ait, ut primum sint factae probe atque examussim, laudari fabrum atque probari opus; sibi quemque inde expetere exemplum. Quas in aedes ubi immigraverit homo nequam, immundus atque instrenuus, iam addi vitium domui male curatae. Tempestate coorta confringi tegulas imbricesque; imbre lavari parietes, perplui tigna atque putrefieri. Nullam esse fabri culpam; sed quae parvo sumptu in tempore resarciri possint, mora interposita pessum dari, quum medela nulla adhibeatur, usquedum ruant parietes. Iam vero, his expositis, exemplum ab aedibus petitum ita explicat adolescens:

v. 39. Primumdum parentes fabri liberum sunt,
Et fundamentum substruunt liberorum,
Extollunt, parant sedulo infirmitatem,
Ut et in usum boni et in speciem populo
Sint: sibique aut materiae ne parcant.
Nec sumptus sibi sumptui esse ducunt:
Expoliunt, docent litteras, iura, leges,*)
Sumptu suo et labore nituntur, ut
Alii sibi esse illorum similes expetant.
Ad legionem quom itant, adminiculum eis danunt
Tum iam aliquem cognatum suum.
Eatenus abeunt a fabris.
Unum ubi emeritum est stipendium, igitur tum
Specimen cernitur, quo eveniat aedificatio.
Nam ego ad illud frugi usque et probus fui,
In fabrorum potestate dum fui.
Posteaquam immigravi in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum illico oppido.

---

*) Etiam Ciceronis temporibus pueri leges XII. tabularum memoriter pronuntiabant. Cic. Leg. II. 23. „Discebamus enim pueri XII, ut carmen necessarium: quas iam nemo discit.“

Venit ignavia, ea mihi tempestas fuit,
Ea mihi adventu suo grandinem imbremque attulit;
Haec verecundiam mihi et virtutis modum
Deturbavit, texit detexitque a me illico.

Tum, postquam cupiditates in pectus penetrasse dixit, ita pergit adolescens:

v. 64. . . . . nunc simul res, fides, fama, virtus,
Decusque deseruerunt: ego sum in usu
Factus nimio nequior, atque edepol ita
Haec tigna humide putent; non videor mihi
Sarcire posse aedeis meas, quin totae
Perpetuae ruant, quin cum fundamento
Perierint, nec quisquam esse auxilio queat.
Cor dolet, quom scio ut nunc sum, atque ut fui,
Quo neque industrior de iuventute erat
Arte gymnastica, disco, hastis, pila,
Cursu, armis, equo. Victitabam volupe:
Parsimonia et duritia disciplinae aliis eram:
Optumi quique expetebant a me doctrinam sibi.

Rem vere Romanam persequitur poeta. Quoad in potestate parentum degebant liberi, parco victu atque disciplinae duritia habebantur. Viribus corporis corroborandis inserviebat ars gymnastica, quae iuventutem Romanam exercebat disco, hastis, pila, cursu, armis, equitando. Neque deerant natandi exercitamenta:

Aulul. IV. 1. 9. Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea induitur ratis,
Qui laborent minus, facilius ut nent et moveant manus.

Labore autem iam a pueris assuefiebant liberi, atque sedulo a parentibus excitabantur, ut ab otio ad labores sese darent. Itaque poeta adolescentem Charinum Mercat. Prol. v. 73. admixtis, ut solet, moribus Graecis, facit disputantem atque patris verba referentem:

Sese extemplo ex ephebis postquam excesserit,
Non . . . . . . desidiae in otio

Operam dedisse, neque potestatem sibi
Fuisse; adeo arcte cohibitum esse se a patre:
Multo opere immundo rustico se exercitum,
Neque nisi quinto anno quoque posse tum visere
Urbem, atque extemplo inde, ut spectavisset peplum,
